

August. Genebrard. et hebraeis ple-  
risque apud Calmetum (1) sensus  
est iste: « David tacuit; celavit fa-  
cinus suum, donec Nathan detexit  
illud; deinde vero non cessavit to-  
ta die illud palam confiteri, atque  
propter illud adeo poenitentia af-  
flictari, ut valetudo detrimentum  
passa fuerit, et ossa illius invetera-  
verint. » Et revera longo tempore  
David peccatum adulterii cum Beth-  
sabea commissum tacuit, imo mul-  
tis artibus occultare conatus est.  
Primo enim Uriam multis modis  
inducere tentavit, ut cum uxore  
propria dormiret; ut filius ex a-  
dulterio conceptus, ipsius Uriae  
proprius putaretur. Et cum Urias  
ad domum propriam accedere nol-  
let, adiecit David crimen homici-  
dii; ut Uria sublato, et illius vi-  
dua in uxorem continuo ducta, par-  
tus, qui post novem menses ex-  
pectabatur, crederetur esse Uriae  
mariti, et non Davidis adulteri. Nec  
tamen, vidua illa in uxorem assump-  
ta, David peccatum suum continuo  
confessus est; sed expectavit ut fi-  
lius nasceretur. Et fortassis ne tunc  
quidem peccatum suum deslere coe-  
pisset, nisi a propheta Nathan ad-  
monitus fuisset. Itaque annum fere  
integrum, et fors etiam diutius Da-  
vid in coeno peccati iacuit, et con-  
fessionem distulit. Propterea dicit:  
quoniam tacui, et non continuo pec-  
catum confessus sum, sed abscon-  
dere et occultare volui, ideo inve-  
teraverunt ossa mea; dum clamarem  
tota die: id est, post agnitum pecca-  
tum tota die pro indulgentia clamare  
coepi, et tandiu ac tanto affectu  
clamavi, ut ossa mea debilia et ve-  
tusta facta sint. Vox enim hebraea  
בלו balu significat inveteraverunt,  
et etiam consumpta sunt, sive at-  
trita sunt. Illud etiam, dum clama-

(1) Comment. in psalm. 51, v. 3.

rem, in hebraeo ad verbum est, dum  
rugirem. Ex quo intelligimus cla-  
morem illum fuisse clamorem do-  
loris et compunctionis, qui recte  
rugitus dici potest. Vide Bellarmi-  
num in eundem psalmi trigesimi  
primi locum.

16. QUÆRES XIV. Quomodo ve-  
ritati consentiat illud (psalm. 36,  
v. 25): JUNIOR FUI, ETENIM SENUI,  
ET NON VIDI IUSTUM DERELICTUM, NEC  
SEMEN EIU QUÆRENS PANEM. Item  
illud (Prov. 10, v. 3): NON AFFLI-  
GET DOMINUS FAME ANIMAM IUSTI;  
cum tamen (Luc. 16, v. 20) Laza-  
rus mendicus et iustus, inedia la-  
boraverit? R. Psalmista non ait,  
nullum dari hominem iustum men-  
dicantem, sed tantum ait, se non  
vidisse talem. Adducit nimirum pro-  
priam experientiam, dicens: Licet  
sim senex, nullum unquam iustum  
penitus derelictum, nec filios eius  
stipem ostiatim quaerentes conspe-  
xi. Dein, etiamsi iusti quandoque  
aut saepe cogantur mendicare, et  
forte aliquos tales etiam psalmista  
viderit: tamen in eis inopiam tem-  
poralem compensat Deus solatiis et  
gratiis aeternis, ac spe aeternorum  
honorum, ita ut non possint dici  
penitus derelicti, nec anxii et tristes  
aut quasi desperantes quaerunt pa-  
nem, sed reapse inhiant potius ho-  
nis spiritualibus et aeternis; bonis  
vero temporalibus paucis contenti  
vivunt.

Quod autem attinet alterum textum  
ex Proverbiis desumptum, inprimis  
ille intelligendus est in sensu distri-  
butivo tantum accommodo, seu so-  
lum de ordinariè contingentibus; nam  
hae et similes promissiones rerum  
temporalium in veteri testamento  
saltem ut plurimum impletæ sunt.  
Aliquando tamen secus factum est,  
sed tunc Deus famem corporalem  
supplebat saturitate et copia dono-  
rum spiritualium: ut etiam vere

tum dici posset, egestatem et in-  
commoda corporis esse iusto deli-  
cias animi. Non igitur affligebat tunc  
Dominus fame animam iusti, sed  
potius eandem saturabat, et recrea-  
bat. Sic etiam Lazaro illi evange-  
lico inopiam temporalem compen-  
savit Dominus aeternorum spe et  
retributione honorum, quae potiora  
sunt.

17. QUÆRES XV. Quomodo David  
(psalm. 50, v. 6) ad Deum dicere  
potuerit: TIBI SOLI PECCAVI? Num-  
quid enim haud etiam peccavit ad-  
versus Uriam, quem per adulterium  
cum ipsius uxore commissum gra-  
vissime inhonoravit et occidit? ad-  
versus Bethsabeam, quam seduxit?  
adversus populum suum, cui tantis  
sceleribus pessimum exemplum prae-  
buit? R. Omissis aliis aliorum in-  
terpretum responsionibus, quas ap-  
ud Calmetum (1) invenire poteris,  
mihi praeplacent duae aliae exposi-  
tiones, quarum prima est Bellar-  
mini, altera Bulleti. Bellarminus  
hunc locum ita exponit: « Tibi, in-  
quit, soli peccavi; non dicit, con-  
tra te solum peccavi: peccaverat e-  
nim etiam contra Uriam, quem oc-  
ciderat, et contra Bethsabeam, quam  
adulteraverat, et contra populum,  
quem scandalizaverat; sed dicit:  
Tibi soli peccavi, nimirum ut iudi-  
ci, apud quem solum convinci pot-  
erat: nam nec alium iudicem ha-  
bebat, etsi habuisset; quoniam fa-  
ctum erat sine teste: et quamvis ex  
suspensione fama peccati manasset  
in vulgus, tamen legitime peccatum  
probari non poterat; sed apud Deum  
iudicem convictus erat, tum quia  
Deus viderat, tum quia conscientia  
ipsius testis erat apud Deum, qui  
scrutatur renes et corda; et ideo  
subiungit declarans: Et malum co-

(1) Comment. in psalm. 50 v. 6.

(2) Réponses critiques tom. 5, n. 51,  
mihi pag. 204.

ram te feci. Quamvis enim David  
occulte peccaverit, in tenebris clausi  
cubiculi, tamen oculos Dei exclude-  
re non potuit. »

Altera expositio est cl. Bulleti (2),  
qui inprimis monet et exemplis pro-  
bat, vocem solus non semper esse  
exclusivam omnium aliorum. Sic  
summus sacerdos Achimelech ad  
Davidem (3) dicebat: Quare tu so-  
lus, et nullus tecum? Et tamen ex  
sequente versu 4 patet, Davidem  
cum aliquibus, sed solito pauciori-  
bus, comitibus tunc venisse. Unde  
teste Cornelio a Lap. (4) Lyran.,  
Dion. et Athanasius (5) docent,  
Davidem cit. loc. dici solum venisse,  
quia non veniebat comitatus so-  
lita frequentia famulorum et mili-  
tum, sed paucis duntaxat stipatus.  
Sic etiam in epist. s. Iudas vers. 4  
legimus: « Subintroierunt enim qui-  
dam homines... impii, Dei nostri  
gratiam transferentes in luxuriam,  
et solum dominatorem et dominum  
nostrum Iesum Christum negantes. »  
Profecto: dum s. Iudas apostolus  
Christum hic appellat solum domi-  
natorem et dominum nostrum, non  
vult excludere Patrem divinum et Spi-  
ritum s., qui pariter noster domi-  
nator et dominus sunt. Taceo plura  
alia exempla a laudato auctore hanc  
in rem adducta, qui his verbis con-  
cludit: « Igitur pari modo, quamvis  
David contra Uriam, contra Beth-  
sabeam, contra multos israelitas,  
quos cum Uria in perniciem tra-  
didit, et contra populum suum tali-  
ter scandalizatum peccaverit, tamen  
ait, se soli Deo peccasse, quia ve-  
hementissimo dolore offensi Numi-  
nis occupatus, de solo hoc summo  
Bono tantopere offenso cogitabat,  
et in eo contritionis momento om-  
nium creaturarum, etiam earum,

(3) I. Reg. c. 21, v. 4.

(4) Comment. in I. Reg. c. 21, v. 4.

(5) Homil. de semente.

in quas peccavit, obliviscebatur. » Ita cl. *Bulletus*.

18. QUÆRES XVI. *Quomodo illud* (Psalm. 57, v. 5 et 6): FUROR ILLIS SECUNDUM SIMILITUDINEM SERPENTIS: SICUT ASPIDIS SURDAE, OBTURANTIS AURES SUAS, QUAE NON EXAUDIET VOCEM INCANTANTIUM: ET VENEFICI INCANTANTIS SAPIENTER *conveniat cum hodiernorum philosophorum doctrina, qui inter fabulas numerant illam multorum opinionem, quod serpentes obstruant aures suas, ne vocem incantantis audire cogantur?* Ut cavillis horum philosophorum (et praesertim d. *de Voltaire*, qui (1) sacros vates irridet, quod crediderint, serpentes hunc in modum fascinari posse) plenius faciam satis. OBSERVO I. *Bochartus*, qui (2) omnes consuetudines eruditionis suae nervos in hoc argumentum de excantandis serpentibus intendit, demonstrat, notos fuisse apud veteres angues, qui venefici incantantis artem omnem eluderent: in assignando autem modo, quo animalia isthaec id effecerint aut efficiant, variant auctores. S. *Augustinus*, *Cassiodorus*, *Beda*, s. *Isidorus*, alique plures in ea fuerunt persuasione, aspidem vix ad primum magicorum carminum sese e latebris evocantium susurrum, alteram aurem terrae applicare, alteram vero caudae summitate occludere, donec evocatio absolvatur. Patres graeci, uti *Eusebius*, s. *Athanasius*, *Theodoretus*, callida quadam arte surditatem sibi inducere serpentem credebant, sed quam potissimum non explicant. *Bochartus* vero duplicem modum, quo serpentes vim magicorum carminum eludere possunt, recenset.

(1) Tractatu de *Tolerantia*, ubi quasdam observationes super prophetas accumulat.

(2) De animal. sacr. part. 2, l. 3, c. 6.

(3) Vide *Calmet*. dissert. de excantatis

1. Cum anguis horrenti quodam sibilo elato, incantantis vocem vel superat, vel saltem aequat; seu potius serpens sibilatione sua evocanti mago et respondet, et illum rudi quadam imitatione aemulatur, quod a latinis verbo *recanere* exprimitur. 2. Cum serpens naturali surditate laborat, sive veneni sui malignitate vim magicorum carminum superat. Sic teste eodem *Bocharto* est apud arabes quoddam serpentum genus, qui surdi sunt, et quorum venenum insanabile et lethale, quique vim omnem magici carminis ita eludunt, veluti si obstructas haberent aures. Nimirum malignitate veneni sui, quod hi angues habent, impeditur stupor, a carmine magico induendus. Quo enim vehementius est virus, eo maior agitatio spirituum et sanguinis oritur; quae non potest continuo a daemone compesci applicatione causae naturalis. Neque enim illimitata est potestas daemonis vel in ipsas bestias. Tales ergo angues vim magici carminis haud secus eludunt, ac si aures obturatas haberent. Caeterum non negamus, sed potius asserimus, excantationes serpentum saepe aut plerumque esse naturales et non superstitiosas. Plures enim sunt artes et non superstitiosae, quibus angues, aliaeque beluae soporentur, capiantur, ac veluti incantentur; musica videlicet, et cantu, seu potius imitatione sibili ipsis proprii: denique et odoribus nonnullis, ac maxime suffitu (3).

OBSERVO II. Quamvis nostra aetate ab ea incantandi angues superstitione homines desueverint, non penitus tamen ab hoc magiae genere cessarunt. Testatur *Scaliger* (4)

serpentibus, quae comment. in psalm. practica est.

(4) De animalibus lib. 1, c. 28, sect. 125, apud *Bochart*

vidisse se homines, qui magicorum carminum obmurmuratione serpentes accirent; et *Pomponacius* (1) viri cuiusdam *Mulinae* versantis meminit, angues tractantis prorsus innoxie; sed cum forte simul virtutis suae in immanem aliquem et virulentiozem anguem dare specimen vellet, subito morsu correptus, diros inter cruciatus interiit. *D. Bernier* (2) testatur, etiam in regno *Cachemir* reperiri homines, quorum id proprium esset institutum, serpentes excantare. *Texeira* (3) affirmat, a se visos serpentes, ipso aspectu immanes ac terribiles, qui carmine cicurati non solum manibus hominum palpari se sinerent, sed dominos suos haud secus ac domestica animalia sequerentur; ad tibias edocti saltarent, atque alia huius generis facerent. Taceo alia eiusmodi exempla, quae apud *Calmetum* (4) et *Weissenbach* (5) annotata invenies.

OBSERVO III. Si quis omnia haec incantationis serpentum exempla ad fabulas amandare velit, faciat mea pace. Nam citra vim s. Scripturae illatam cum *Bellarmino* (6) et *Calmeto* (7) dici potest, non multum referre ad citati psalmi explicationem, utrum sit verum, an fabulosum, quod dicitur de aspide claudens sibi aures, ne audiat maleficum incantantem. *David* enim similitudinem ducit ab eo, quod vulgo fertur, loquiturque ex sententia populari, seu ad mentem vulgi carminibus magicis vim istam incantandi serpentes tribuentis. Neque in imaginibus seu similitudinibus

(1) De incant. c. 4.

(2) Tom. 4. itinerarii sui in *Cachemir*, 162 Galliae.

(3) *Histor. persicae* lib. 1, c. 19.

(4) *Loc. cit.*

(5) In forma theol. bibl. tom 2, pag. 197-26

semper verum, sed veri speciem sequi solemus. Et profecto solemne est scriptoribus sacris, quamquam divino supernaturali, et infallibili lumine illustratis, ut vulgarem loquendi rationem non raro sectentur, quo se ad captum et indolem vulgi accommodent. Hinc legimus in Scriptura odium, iram, poenitentiam Dei, eiusque oculos, manus et pedes. Audire Deus legitur voces pulli corvorum ad ipsum clamantis (8): columbae simplicitas, et serpentis prudentia proponitur in exemplum (9): quatuor esse super terram scribit *Salomon* (10), quae minima licet, sapientia tamen vel ipsos sapientes viros superant: nempe formica, lepusculus, locusta et lacerta. Quidni igitur psalmista sine errandi periculo sese potuerit accommodare communi veterum persuasioni de incantatione serpentum, dicens: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, etc.?*

SCHOLION. Monet s. *Augustinus*, non ideo approbari in Scriptura incantationes veneficorum, quia psalmista inde similitudinem accepit; nam et Dominus in evangelio similitudines duxit a iudice iniusto, qui nec Deum timet, nec hominem reveretur; et a villico iniquitatis, qui donando bona domini sui, amicos multos sibi conciliavit; nec tamen approbavit iniustitiam iudicis, neque fraudes servorum. Porro quando psalmista loc. cit. veneficum sapienter incantare ait, quae (aspis) non exaudiet vocem incantantium; et venefici incantantis sapienter, non laudat aut probat artem magicam, sed (ut *Menochius* et *Bellarminus* recte exponunt) sensus est: « Quae

(6) Comment. in psal. 57, v. 3.

(7) *Loc. cit.*

(8) Psalm. 146, v. 9.

(9) Matth. c. 10, v. 16.

(10) Prov. c. 30, v. 24-29.

non exaudiet vocem... *venefici incantantis sapienter*, id est, valde periti in arte sua, seu in arte magica exercitissimi. »

19. QUARES XVII. *Quomodo psalmista* (psalm. 68, v. 29) *in sensu mystico contra iudaeos persecutores Christi Domini orare potuit*: DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM, ET CUM IUSTIS NON SCRIBANTUR; *cum tamen hi nunquam scripti fuerint in libro vitae*? R. Varias sunt huius sententiae explicationes; prout etiam variae sunt *libri vitae* vel *libri viventium* significationes, quemadmodum apud *Lorinum* (1), aliosve interpretes videre poteris. Mihi praeplacet explicatio *Bellarmini*, qui per librum viventium et iustorum hoc loco intelligit librum populi Dei, atque ita ait: « Probabilior videtur eorum sententia, qui per librum viventium et iustorum intelligunt populum Dei, in quo scripti sunt veri cultores Dei, quibus solis vera iustificatio contingit, et qui sunt filii et haeredes. Vere enim iudaei, qui olim erant populus Dei, nunc deleti de libro viventium et iustorum, non sunt amplius populus Dei, neque partem habent in hereditate filiorum Dei; et contra gentiles, qui non erant populus Dei, per fidem in Christum coeperunt esse populus Dei, et partem habere in regno Dei. Hoc praedixit... *Daniel* cap. 9: *Non erit eius populus, qui eum negaturus est*. Et *Oseae* 1: *Non populus meus, et ego non ero vester Deus*. Et Dominus in evangelio saepissime hoc praedixit iudaeis, fore, ut auferretur ab eis regnum Dei, et filii regni eicerentur foras; et in locum eorum venirent gentes ab oriente et occidente, et recumberent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum. Hanc ex-

(1) Comment. in psalm. c. 68, v. 29.

positionem attingit breviter s. *Hilarius*, sed fusius s. *Hieronymus*, qui dicit, iudaeos persecutores Christi deletos esse de libro, in quo scribebantur patriarchae et prophetae, et non esse scriptos in libro eorum qui iustificantur per fidem Christi, quorum nomina scripta sunt in coelis. » Ex his *Bellarmini* verbis satis, ut opinor, sensus illorum verborum, *Deleantur* (iudaei persecutores Christi) *de libro viventium, et cum iustis non scribantur*, patet.

20. QUARES XVIII. *Quomodo David* (psalm. 73, v. 9) *dicere potuerit*: IAM NON EST PROPHETA; *cum tamen tunc prophetae fuerint Nathan, Gad, aliique*? R. Nego suppositum, quod hoc loco sermo sit de tempore *Davidis*, sed describitur oratio populi iudaici in afflictione positi sub *Nabuchodonosore* tempore captivitatis babilonicae, vel, ut alii volunt, gementis sub iugo *Antiochi Epiphaniis*. Et sane si citatum textum accipiamus de statu iudaeorum tempore captivitatis babilonicae, apte explicari possunt illa captivorum suspiria, cit. loc. expressa: *Signa nostra non vidimus; iam non est propheta*. Quamvis enim signa seu prodigia quaedam tempore captivitatis babilonicae facta fuerint, e. g. liberatio *Danielis*, et sociorum eius de ardenti fornace, et iterum *Danielis* de lacu leonum, etc.; tamen ista non erant ad liberationem totius populi iudaici adeo patenter edita, ut illa in Aegypto olim, atque in deserto facta, quae ideo iudaei merito appellare poterant *signa nostra*. Dein non erat tunc propheta; quamvis enim *Daniel* fuerit Babylone, tamen non erat propheta popularis, quem vulgo consulerent homines, quemadmodum in Iudaea olim consueverant. *Ezechiel* longius Babylone

aberat in Mesopotamia superiori, iuxta fluvium *Chobar* divino aestro afflatus. *Ieremias* omnino non erat cum iudaeis captivis Babylonem profectus, sed a reliquiis iudaeorum, ut secum iret in Aegyptum, compulsus est (1). Denique, licet tempore captivitatis babilonicae fuerint prophetae aliqui, nulli tamen erant, quales iudaei captivi optassent, et quales olim post exitum ex Aegypto habebant, aut in Iudaea et Ierusalem intuebantur; qui palam ipsis initium vel finem malorum annuntiabant, qui eos hortabantur, vel in calamitatibus ipsorum consolabantur, ac etiam signis seu miraculis iuvabant. Sensus itaque illorum verborum, *iam non est propheta*, recte assignatur iste: « Iam non est propheta, qui nobis opituletur, ut olim *Moyses*, *Samuel*, et alii, quique coram praesens nos voce soletur, et signis seu miraculis iuvet contra hostes. » Vide *Tirinum*, *Calmetum*, *Menochium*, comment. in hunc locum.

21. QUARES XIX. *Quomodo Psalmista* (Psalm. 81, v. 5) *praedicere potuerit*: MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRAE; *et simul* (Psalm. 103, v. 5) *asserere*: FUNDASTI TERRAM SUPER STABILITATEM SUAM; NON INCLINABITUR IN SAECULUM SAECULI. *Quomodo hic evitatur contradictio*? R. Nulla hic est contradictio. Nam in primo textu (ut *Bellarminus* et *Menochius* exponunt) Scriptura loquitur *in sensu morali* et metaphorico, quod nempe ob ignorantiam vel iniustitiam iudicum secutura sit perturbatio et tumultus, seditio et defectio populorum. Deplorat enim ibi Psalmista voluntariam caecitatem Iudicum, ob quorum iniustitias totus orbis terrarum conturbatur. In altero autem textu Scriptura

(1) Ierem. c. 45, v. 4-8.

loquitur *in sensu physico*, ac sensus est: terra non innititur alteri solido corpori; illa sibi basis est, ac fundamentum; illa innititur super stabilitatem suam, super aequilibrium et centrum suum, sive ut textus hebraeus habet: יסד ארץ על מכונייה בל תמוט עולמו! *Fundavit terram super basim suam, non commovebitur in seculum seculi*. Sic etiam alibi (2) Scriptura dicit: *Fundavit* (Deus) *orbem immobilem*.

22. QUARES XX. *Quomodo explicetur illud* (Psalm. 124, v. 3): NON RELINQUET DOMINUS VIRGAM PECCATORUM SUPER SORTEM IUSTORUM; *cum tamen experientia doceat, ab impiis saepe opprimi iustos, et illos his dominari*? R. Textus non ait: *Non ponet Dominus virgam peccatorum, etc.*, sed: *Non relinquet*, vel ut in hebraeo est: *Non requiescet virga* (seu sceptrum) *peccatoris super sortem iustorum*; quae metaphora non requiescet eleganter exprimit brevitate temporis, quo peccatores permittuntur regnare super iustos. Quamvis enim tempus hoc longum videri possit iis, qui non cogitant aeternitatem; tamen iis, qui ex divina promissione certi sunt, regnum sanctorum cum Christo sine fine duraturum, momentaneum videtur omne, quod habet finem. Ait igitur Psalmista: *Non requiescet virga peccatoris super sortem iustorum*, id est, erit quidem potestas peccatoris non raro super iustos ad eorum probationem, vel exercitationem, vel correctionem; sed non erit manens, sed transitura; temporalis, non aeterna. Ita *Bellarminus* cum aliis. Eadem ferme expositio est *Menochii*, qui citatum textum ita exponit: *Non requiescet virga peccatoris, etc.*, id est, non

(2) I. Paralip. c. 16, v. 50.

permittet Dominus pios et fideles populos, qui sors et haereditas illius sunt, nimis diu vexari flagello impiorum, *ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas*, id est, ne si iusti diuturno tempore se malis conflictari animadverterent, a pietate desciscant, quasi Deus parum curet suos, et impiis melius sit.

23. **QUAERES XXI.** *Quomodo concordet illud* (psal. 126, v. 2): **VANUM EST VOBIS ANTE LUCEM SURGERE, cum illo** ( Sap. 16, v. 28): **OPORTET PRAEVENIRE SOLEM, AD BENEDICTIONEM TUAM, ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE. Quomodo hi duo textus conciliandi?** *¶* Sensus primi textus est, inutiles esse hominum curas ac vigilantiam, ni Domini adsit auxilium. Nam, ut *s. Chrysostomus, Theodoretus et Euthymius* tradiderunt, haec prophetica exhortatio, sive admonitio in sensu literaliter pertinet ad populum hebraeorum post reversionem a captivitate babilonica, quando laborabat in aedificanda domo Dei, et restauranda civitate Ierusalem, et a vicinis gentibus toto fere illo tempore vexabatur et impediabatur (1). Dum igitur filii Israël prae nimia sollicitudine, dum in angustiis essent, ante lucem opus aedificationis aggrediebantur; monet illos Spiritus s., nihil profuturum, quod ante lucem operari incipiant, nisi Dominus illis adfuerit; sed si Dominum adiutorem habuerint, et in illo spem suam posuerint, opus prospere successurum, etiamsi post necessariam quietem, orto iam sole, operi se accingant. Insinuat nobis hunc sensum totus sacer contextus cit. loc. positus. *Vanum*, inquit Deus, *est vobis ante lucem surgere*, ad opus videlicet aedificationis pro-

(1) Vide *Bellarmin.* aut *Calm.* comm. in hunc psalmum.

sequendum; ubi subintelligendus est versus immediate praecedens, *nisi Dominus aedificaverit domum, vel custodierit civitatem*; et ideo confidentes in Domino, et illum assidue invocantes, *surgite, postquam sederitis*, id est, post nocturnam, ac necessariam quietem, *surgite ad opus. Qui manducatis panem doloris*, id est, vos, qui in angustia et oppressionem nunc vivitis propter infestationem continuam inimicorum.

Sensus autem alterius textus ex lib. Sapientiae desumpti est longe alius, nimirum iste: *Oportet praevenire solem*, seu ortum solis, *ad benedictionem*, graece ἐν εὐχαριστίᾳ, id est, gratiam tuam recipendam; vel ad gratiarum actionem pro manna reddendam, *et ad ortum lucis te adorare*. Unde patet allatos duos textus neutiquam inter se pugnare.

24. **QUAERES XXII.** « *Quomodo David* (psal. 131, v. 2-6) *iurare et vovere potuerit, se non intraturum domum suam, nec in lectum ascensurum; imo etiam neque extra lectum dormiturum, aut quietem ullam capturum, donec tale templum extruxerit, ut in eo digne possit arca Domini collocari? Nonne absurdum et insipientis est, aiunt increduli, iurato promittere et vovere, quod implere non possis, quodque naturae vires superat, videlicet tamdiu insomnem esse, dum templum struatur? » Antequam respondeam, recito psalmi modo citati verba hac de re ita sonantia: *Sicut* (David) *iuravit Domino, votum vovit Deo Iacob: si introiero in tabernaculum domus meae; si ascendero in lectum strati mei; si dederero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quae ultima verba (ut*

*Bellarminus* cum aliis recte advertit) non significant, *Davidem* vovisse, se non accepturum ullam quietem, donec a Deo sibi locus templi aedificandi revelaretur; sed sensus est, donec reapse templum extruxisset. Nam, ut ex II. Reg. c. 7, et ex I. Paralip. c. 22 constat, *David* non tam de designando templi loco, sed de ipsa eiusdem aedificatione sollicitus erat, et in hanc executioni dandam ingenti studio invigilabat. Iam autem inquit increduli, nolle quietem capere aut dormire, donec templum tam magnificentum aedificatum fuerit, idque iurato vovere, non nisi hominis insipientis est. Aut, an ille sanae mentis est, qui iurato promittit, quod servare non potest?

Verum ad hunc incredulorum cavillum *¶* cum *Bellarmino, et Bulleto*, hoc perquam inepte obiici ab incredulis. Equidem *David* et asseverat et vovet, se nec domum, nec lectulum suum ante aditurum; sed nempe per figuram *Hyperboles*, ad ingens desiderium suum exprimentum, quo semper aestuabat, Deo templum aedificandi. Neque eiusmodi figura in s. Scriptura, aut in communi modo loquendi infrequens est, quae hoc loco, et in similibus circumstantiis duntaxat sollicitudinem magnam rei faciendae denotat. Sic in lib. Proverb. (1) sponsori praescribitur, ut maxima sollicitudine fidem datam liberet: *Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae.* Neque tamen ideo praecipitur, ut sponsor omnino non dormiat, donec promissum suum impleverit. Hoc enim interdum non nisi intra spatium longi temporis fieri potest. Itaque sensus solummodo est, ut sponsor mora-

(1) Cap. 6, v. 3 et 4.

lem diligentiam adhibeat, et implementationem promissi sui inter primas curas numeret. Simili modo, quando *Ieremias* post devastationem Ierosolymae ad Ierusalem ait (2): *Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*, non petiit, ut iudaei diu noctuque absque intermissione flerent; id enim fuisset impossibile; sed ut animo valde contristarentur, quoties devastationis sanctae civitatis recordarentur. Taceo plura alia eiusmodi exempla. Unicum addo ex communi nostro loquendi modo desumptum. Saepe dicimus, nos non antea quieturos, donec certum aliquod propositum aut negotium confectum fuerit, cuius tamen executio interdum pluribus annis indiget. Atqui hoc modo loquendi plane dicere nolumus, nos toto hoc tempore nullam quietem, nullam animi tranquillitatem, somnumve capturos. Solummodo illis verbis indicare volumus, tale negotium nobis maxime cordi esse, nec illius exequendi curam nos unquam animo dimissuros, donec plene confectum fuerit. Sic etiam haec verba intelligit unusquisque, ad quem ita loquimur.

Similiter igitur etiam iuramentum illud *Davidis* intelligendum est: *Si introiero in tabernaculum domus meae*, id est, iuro, me non intraturum in domum meam, ita ut obliviscar domus Dei aedificandae: *Si ascendero in lectum strati mei*, id est, iuro, me non ascensurum in lectum meum, ita ut non cogitem de aedificio templi, ubi proprie arca Domini requiescat: *Si dederero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem*, id est, iuro, me non dormiturum, ita ut non vi-

(2) Thien. c. 2, v. 18.

gilem circa templum Domini erigendum: *Et requiem temporibus meis*, id est, iuro, me non compositurum caput meum ad quiescendum, ita ut quiescam a sollicitudine domus Domini praeparandae. Quod iuramentum et votum *David*, quoad in se fuit, accuratissime adimplevit, ut intelligi potest ex verbis eius (1): « Ego, *inquit*, totis viribus meis praeparavi impensas domus Dei mei: aurum ad vasa aurea, argentum ad argentea, etc. ... Et super haec, quae obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum et argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quae praeparavi in aedem sanctam, tria millia talenta auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi. » Ac praeter has ingentes opes, paravit etiam *David* descriptionem omnium partium templi, porticus, et cellariorum et coenaculi, et similibus rerum, ac praeterea omnium ornamentorum, ut habetur in lib. I. Paralip. c. 28, v. 11, etc.

NEQUE DICAS: Templum ipsum tamen non aedificavit *David*, sed *Salomon* eius filius; ergo *David* votum suum iuratum non integre implevit. R. Deus votum quoad ipsam aedificationem templi noluit a  *Davide* impleri, sed ei per prophetam *Nathan* indicavit, non ipsum, sed eius filium *Salomonem* a Deo electum esse, ut templum aedificaret (2).

25. QUÆRES XXIII. *Quomodo illud* (psal. 132, v. 3): SICUT ROS HERMON, QUI DESCENDIT IN MONTEM

(1) I. Paral. c. 29, v. 2, etc.

(2) I. Reg. c. 7, v. 15. Et I. Paral. c. 28, v. 5 et 6.

(3) Contextus psalm. 132, v. 4-4, ita sonat: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut

SION, intelligendum sit? *Qua enim via aut canali ros montis Hermon, qui in tribu Issachar situs est, descendere poterit in montem Sion, qui est Ierosolymis?* R. Variæ sunt variorum interpretum huius textus expositiones, quarum aliquas solum commemoro. *Bellarminus* ait, Psalmistam considerasse montem *Hermon* esse altissimum et amplissimum, atque in eo magnam esse roris abundantiam; montem autem *Sion* esse multo humiliorem et aridiorem; et ideo more poetico dixisse, ex monte *Hermon* descendere rorem in montem *Sion*, quasi communicet mons *Hermon* rorem, quo abundat, cum monte *Sion*. Non, quod idem omnino ros, qui est in monte *Hermon*, descendat in montem *Sion*, sed quod similis ros descendens in montem *Sion*, videatur quodammodo ex monte *Hermon* descendere. Et aptissime convenit haec similitudo in conventum fratrum habitantium in unum, de quo ibi sermo est (3). Sunt enim fratres concordēs, quasi tot montes, sive colles *Sion*, in quos descendit ros coelestis a Christo, qui est quasi *Hermon* altissimus, et rore coelesti plenissimus. Unde dixit *Ioannes* (4): *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Non communicat autem Christus nobiscum eam ipsam gratiam et gloriam numero, quam in se habet; sed aliam similem, et minorem. Itaque psalmista recte ait, bonum utilitatis fratrum habitantium in unum esse sicut rorem *Hermon*, qui descendit in montem *Sion*, sive ut est in hebraeo, in montes *Sion*.

unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam *Aaron*; quod descendit in oram vestimenti eius; sicut ros *Hermon*, qui descendit in montem *Sion*.

(4) Ioan. c. 1, v. 16.

Altera expositio est *Euthymii*, *Theodoretii*, *Genebrardi*, aliorumque, dicentium, per ventum euro-aquilonem ex monte *Hermon* in montem *Sion* deferri roscidam materiam cum nubibus, et hoc sensu rorem ex illo in istum descendere.

Tertia expositio est *Aymonis*, *Iacobi Perez de Valentia* *episcopi Christianopolitani*, *Vatabli*, et plurium aliorum, qui censent, repeti aut iterato subintelligi debere nomen *roris*, ita ut sensus sit: « Sicut ros *Hermon*, et sicut ros, qui descendit in montem *Sion*, iucundus est et exoptatus; ita bonum et iucundum est, habitare fratres in unum ».

SCHOLION. In citato psalmo commendatur fratrum concordia, et duabus similitudinibus explicatur iucunditas et utilitas fratrum habitantium in unum. Ac primo iucunditas haec comparatur unguento pretioso, quo ungebatur caput summi Pontificis, quod erat odoris suavissimi (1); quod quidem unguentum effusum in caput pontificis, inde defluebat ad barbam, et a barbâ in oram vestimenti, id est, in illam partem vestimenti, quae circumdat collum, seu quae immediate subiecta est barbae. Neque enim per oram intelligitur extremitas vestis sacerdotalis, sed summitas, ut notavit *s. Augustinus*, et ut indicat textus hebraeus qui ad literam habet: *super os vestium illius*; nam iuxta Scripturae stylum os vestium

(1) Vide Exod. c. 50, v. 25-31.

(2) Exod. c. 28, v. 34; item c. 59, v. 20 et 21. Iob c. 50, v. 18.

(3) Vocem hebraeam שְׂעוֹל *Seol*, quam latinus interpres hoc loco *infernum* et a libi *inferos* solet interpretari, semper in Scriptura significare fossam vel sepulcrum quidam contendunt, nunquam autem locum inferorum, vel gehennam. Ast contrarium ostendunt *Lorinus* (commentar. in hunc psalmi 132 locum) et *Pererius* (in Genes. c. 57, disput. 8). Ac profecto in his cit. psalm. verbis: *Si a-*

superiorem illum hiatus significat, qua collum inseritur (2). Idipsum etiam ratio ipsa demonstrat; non enim tantum unguenti in caput pontificis effundi solebat, ut usque ad extremas vestes deflueret. Itaque horum verborum: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam *Aaron*; quod descendit in oram vestimenti eius » merito assignatur iste: Sicut unguentum sacerdotale effusum in caput *Aaronis* defluebat in barbam et oram summam vestimenti eius; et sic fragrantia sua mire recreabat tum *Aaronem*, tum praesentes omnes; ita concordia fratrum mire oblectat Deum et homines. » Vide *Tirinum*, aliosque interpretes in hunc locum. Eandem veritatem psalmista illustrat alia adhuc similitudine roris decidens in montem *Hermon* et *Sion*, ut supra ex *Bellarmino* explicatum est.

26. QUÆRES XXIV. *Quomodo explicatur illud* (Ps. 138, v. 8): SI ASCENDERO IN COELUM, TU ILLIC ES: SI DESCENDERO IN INFERNUM, ADES. *Decetne, Deum existere in inferno?* R. Non diffitemur, in hoc textu nomine *inferni* non intelligi sepulcrum aut fossam, ut quidam hebraizantes volunt (3); sed infernum damnatorum, seu gehennam. Negamus autem, esse indecens aut absurdum, quod Deus per immen-

scendero in coelum, tu illic es; si scendero in infernum, ades, opponuntur duo loca distantissima tum inter se, tum a superficie terrae, ubi habitant homines. Unus locus est distantissimus secundum altitudinem, quod est coelum; alter locus est disiunctissimus secundum profunditatem, qui est infernus. Liqueat igitur non posse accipi hic nomen inferni pro sepulcro, quippe quod parum distat a superficie terrae, et longissime abest a profundissimis terrae locis.

sitatem suam ibi, sicut in quovis alio spatio reali existat: non quidem, ut ibidem aliquid patiat, sed ut damnatos et ignem infernalem conservet, huncque omnipotenti sua virtute vindice ad puniendos spiritus reprobos eleve. Caeterum Deus in inferno praesens est, ac manet in se aequae beatissimus, ac existens in coelo. Neque enim ibi patitur poenam damni, cum se ipsum in inferno aequae clare videat et amet, ac in coelo; neque poenam sensus, utpote cuius incapax est. Deus enim, cum sit ens a se, et ab omni alio prorsus independens, a nulla creatura, adeoque nec a daemionibus, nec ab igne infernali aliquid pati valet; sed potius ipse, ut diximus, tanquam ens ex natura sua immensum et causa universalis omnium rerum creaturum, a qua hae omnes essentialiter dependent, conservat ipsum etiam esse daemonum et ignis infernalis, iisque tribuit virtutem cruciandi damnatos.

27. QUÆRES XXV. *An oratio vel cantus psalmodum, si fiat a moniale, aliave persona non intelligente sensum verborum, Deo tamen accepta sit? R.* Affirmative, dummodo ita orans, aut cantans verba, ordinate, distincte et reverenter pronuntiet; simulque intentionem seu volunta-

(1) Haec dissertatio idiomate germanico impressa, extat in tom. 35. Neuester Sammlung, etc., seu Novissimae collectionis. Legi etiam hac de re praecipue meretur Ludovicus de Ponte, tom. 4 de perfectione christiana, tractat. 5, c. 6, § 1 et 2.

(2) L. 7 de processu religionis, c. 5, ubi s. Doctor ita ait: *Orandi tres sunt modi. Unus vocalis per verba composita et usitata, sicut cum psalmos, hymnos, collectas et alias orationes, vel laudes compositas, ad exercitandam devotionem, vel solvendum debitum recitamus. Triplex autem est (in oratione vocali) attentio. Una superficialis tantum, ut si attendat quae dicit, quem psalmum interim dicat, vel*

tem habeat orandi, et per haec verba, quae profert aut cantat, Deum honorandi et laudandi. Solide id demonstrat dissertatio, cui titulus: *Defensio breviarii nuper accusati*, germanice: *Rechtfertigung des unlaengst angeklagten Breviers* (1). Quamvis autem haec attentio ad sola verba, quam theologi morales cum s. Bonaventura (2) attentionem *superficialem* nominare solent, ad essentiam orationis sufficiat (3); certum tamen est, quod attentio, quae est ad ipsum sensum verborum, melior et praeferenda sit. Huic autem in psalmis aut aliis Scripturae locis, maxime apud homines illiteratos, obstare solent varii obscuro aut peregrini modi loquendi, hebraismi, graecismi aut similia, quorum quidem aliqua iam explicavimus, sed plura explicanda restant. Unde difficiliore aut obscuriores quasdam locutiones in psalmis occurrentes hic secundum ordinem psalmodum evolvemus.

Psalm. XI, v. 7 dicitur: *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum*. Sensus est (4): Verba Dei sunt casta, i. e. pura, sine ulla falsitatis, mendacii, doli admistione: sunt velut *argentum* defaecatum, quod per ignem *probatum*, et a scoria separatum, ac

quam antiphonam, vel orationem. Fructus huius attentionis est, quod non cogitur repetere, cum sciat se dixisse... Alia attentio est litteralis, qua homo sensum litterarum tantum attendit, quid exterius verba sonant... Tertia attentio est spiritualis, vel intellectualis, quando ex verbis psalmodum quaeritur sensus spiritualis... In tali attentione est fructus maximus.

(5) Vide laud. dissertat. loc. cit. pag. 72-76.

(4) In assignando sensu psalmodum, et eiusmodi difficiliorem et obscuriorum, quas hic afferemus, locutionum in psalmis contentarum, sequimur communio-

*septuplum*, i. e. pluries seu maxima diligentia purgatum est. Alii haec verba, *probatum terrae*, explicant de argento a populis terrae approbato, videlicet ab hominibus peritis metallorum; alii de argento a regionis domino, rege, principe, approbato.

Psalm. XX, v. 13. *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me*. Haec verba sunt psalmistae in persona Christi patientis loquentis, in quibus per *vitulos multos* intelliguntur populus iudaeorum et milites, qui instar petulantium vitulorum, ioco sibi vertebant atque oblectationi, nequissimas quaslibet contumelias tempore passionis dominicae in Servatorem optimum ingerere; nomine autem *taurorum pinguium* designantur sacerdotes iudaeorum et pharisaei pervicaci superbia, et internecino odio Christum persequentes, qui fortes et pingues instar taurorum pinguium dicuntur; quia erant potentes et divites. Vel, ut Bellarminus existimat, haec posteriora verba, *tauri pingues obsederunt me*, sunt explicatio, sive repetitio verborum immediate praecedentium, *circumdederunt me vituli multi*; nam, ubi in vulgata nostra dicitur, *tauri pingues obsederunt me*, in hebraeo ad verbum habetur, *fortes Basan obsederunt me*. Vituli enim vocantur *fortes Basan*, quia erant robusti et pingues; nam *Basan* erat regio abundans optimis pascuis, unde pinguissimi tauri et arietes prodibant. Quare iuxta hanc Bellarmini explicationem citatus versus habet hunc sensum: Iudaei, milites, pontifices, et pharisaei instar vitulorum et taurorum pinguium petulantes et esferati me circumdederunt, et persecuti sunt.

Psalm. XXII, v. 4. *Virga tua et baculus tuus me consolata sunt*. Id

est, pastoralis tua cura, o Deus et sustentatio, qua me infirmum fulcis; quin subinde etiam castigatio, qua me errantem mones, et in viam revocas, mihi solatio erant. Laetatur enim anima, cum videt profectum suum et salutem curae esse Deo. Ita Origenes, Hieronymus, Augustinus et Bellarminus, cum aliis.

Psalm. XXXII, v. 17. *Fallax equus ad salutem; in abundantia autem virtutis suae non salvabitur*. Id est, fallax est spes, quam quis in equo ponit, quasi eodem salvus esse possit; equus enim in *abundantia virtutis suae*, seu in multo suo robore et velocitate *non salvabitur*. Hebr. *non salvabit*, scilicet se et sessorem suum. Porro quae hic dicta sunt de salute corporali, multo magis intelligenda sunt de salute spirituali, ad quam obtinendam nemo sufficiens est, sine praeventiente et subsequente gratia Dei.

Psalm. XLIII, v. 25. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster*. Id est, vita nostra morti propinqua, est quodammodo in sepulcri pulverem redacta. Ante te super pulverem ac cinerem prostrati sumus. In altissimae humiliationis statu a te misericordiam petimus. Facies et corpus nostrum humi prostratum, omnino terrae ac pulveri adhaesit.

Psalm. LXVIII, v. 14. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos*. Quoniam psalmista dixit, homines factos esse per peccatum similes bestiis insipientibus, addit finem illorum fore, ut more ovium brutarum et stolidarum, ad macellum ultro et gregatim cursitatum, in infernale stabulum cogantur maximo numero. Ibi *mors depascet eos*, id est, pabulum erunt aeternorum cruciatuum, et i-